



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Germanici Lutherani n. 15

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

summopere, apud suos nullam guttulam hauriri posse pietatis. *In Annal. Soc. ann. 1613. fol. 203.*

*Sunt ad
iuuentutem
instituen-
dam prom-
pti, & om-
nigena sa-
pientia
ornati,*

13. A MINISTRO *Auenionensi* : Docti sunt (*inquit*) Iesuitæ, fateor : ad pueriles animos imbuendos prompti, & parati, non negarim. Ab his cognitio antiquitatis, & Historiarum petenda, verissime dictum est : ab his poetices, & eloquentiæ præceptorum docta, & subtilis explicatio, non inficior, non negabo. *Ita in Annalib. Societ. ann. 1600. fol. 283.*

*Et Concionatores,
quos heretici
trepidat.*

14. A CALVINISTIS *Gallicis, Ecclesiasticis & sæculares in partem Urbis Araucisæ admitti Henrico IV. permittentibus, conditione hac tantum addita, Ne Iesuitæ Concionatores accederent. Ibidem fol. 289. Sic ad eorum conspectum pauent Heretici.*

*Satius cum
Dæmone,
quam cum
illis con-
gredi.*

15. A LVTHERANIS *ex Prouincia Germania superioris palam asserentibus, Satius esse cum Caco-dæmone, quam cum Iesuitarum Cætu congregari. Quod de Societatis doctrina luculentius testimonium. Ita in Annalib. Societ. citat. ann. 1600. fol. 346.*

*Eorum vita
laudata.*

16. A CALVINISTIS *ex Prouincia Rhenana testantibus, Se non difficulter fore Romanos, si vt Iesuitæ omnes Sacerdotes viuerent. Ibidem fol. 399. Paucis sane verbis grande præconium.*

*Quorum
opera sit, ne
hereticorum
fluctibus
Anglia,
& Gallia
reslagnet.*

17. A GALLIS, ET ANGLICANIS P. Petrum Diazium, & socios iuxta *Insulas fortunatas immaniter occidentibus : nec tantam diritatem exaturari potuit horum Hereticorum rabies, nostros, iam Seductores appellantium, & magnis clamoribus conquerentium, Eorum opera veluti obiectis molibus fieri, ne hereticorum fluctibus tota Anglia, & Gallia restagnaret, futurumque, vt sublatis Iesuitis fieret non vnus Pastor, & ouile, sed vna bara, & suile. Ita apud P. Vasconcellos in descript. Regni Lusitani, sine in sua Anacephaleos fol. 504.*

*Quantū ab
Hereticis
timeantur.*

18. A LVGDVNENSI *Moderatore Conciliabuli Hereticorum : in quo dum Minister quidam non satis tolerabiliter insolecit, nullum aptius*